

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA
INDIÆ OCCIDENTALIS.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA
INDIÆ OCCIDENTALIS.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA

INDIÆ OCCIDENTALIS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS DAUNT,

CHIRURGUS MILITARIS.

Maxima pars hominum morbo jactatur eodem.

HORAT. *Serm. II. Sat. iii.*

Verumque est, ad ipsam curandi rationem, nihil plus conferre, quam experientiam.

CELSUS, *De Medicina.*

Ad Calendas Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI :

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXIX.

DISSECTATIO MEDICA
IN ANATOMIA

DE

DYSENTERIA

INDIA OCCIDENTALIS

GUAM

DE

ANNO 1780

DYSENTERIA

ACADEMIA VINDOBURGENSIS PRÆSENTI
INDIA OCCIDENTALIS

Qui studet optatam cursu contingere metam,

Multa tulit, fecitque puer: sudavit et alsit.

HORAT. De Arte Poëtica.

Hunc morbum, ut insulas solennibus cele-
bris hujus Academiae patrem, quæ Dissertatio-

nem inauguratam presentavit, et hujus Doctoris
gradus adeptus, scripsi et in hunc prologo in-
scripsi, sed in his

temperibus eruditus, tunc in medicina grassa-
tur, elegit, non vana spe, cupiditate, vel de
pathologia morbi, vel de methodo medendi,
proferendi; sed ut solum, in hunc prologum in-
scripsit, et hunc

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA

INDIÆ OCCIDENTALIS.

PROÆMIUM.

HUNC morbum, ut institutis solennibus celebris hujus Academiae parerem, quæ Dissertationem Inauguralem postulant, ab iis qui Doctoris gradum ambiunt, scripsi, et minime profecto insanabili scribendi cacoëthe seductus, quod, in his temporibus eruditis, mirum in modum grassatur, elegi; non vana spe, aliquid novi, vel de pathologia morbi, vel de methodo medendi, proferendi; sed ut solum, inter morborum In-

diæ Occidentalis catalogum, insularum præsertim, ubi, chirurgus exercitus Britannici, medicinam excolui, plurimum homines exercet; nec non mihi ipsi accidit, per longum tempus, morbum isthunc atrocem pati.

Dysenteria in omnibus regionibus terræ orbis, ubi fovetur ars Apollinea, sibi ex primis seculis, summam ejus professorum attentionem vindicavit, propter strages ejus late editas, quando apud homines confertim congregatos, et in unum locum, conditionibus peculiaribus obnoxios, exoritur; etiam ex doloribus acerrimis, qui eam comitari; et denique, quia injurias functionum variarum, non rare inducit, per reliquias vitæ sæpe vexantes.

Quamvis, non proprie pertinet dysenteria, ad regionem ullam, nam verum est, quod ex polis mundi, usque ad circulum æquinoctialem, omnes infestat, ut plane demonstrant classium et exercituum omnium gentium historiæ, quæ nostris seculis adeo abundant; attamen ab experientia docemur, eam in quibusdam, præ aliis, longe periculosiorem esse; nam in regionibus temperatis, ubi perraro multum congeruntur causæ prædisponentes et excitantes, plerumque

morbus levis et sanabilis, contra vero in calidis, acerrimus creberrimeque lethalis est.

In nulla historia generali comprehendi possunt omnes morbi hujus varietates, quas ex natura locorum oriri videmus: sic, igitur, necesse est, morbum studere, in ipso loco; ita remedia sagaciter adhibere, et prophylactica instituere * possumus.

Omisso hoc præcepto, exortæ sunt, inter scriptores practicos, discrepantiæ innumerabiles; hinc descriptiones contrariæ, hinc multa remedia ab aliis laudata, ab alteris reprehensa sunt.

Hac de causa, brevissime paginis sequentibus disserere statui, de morbi phænomenis, ut solum intra regiones supra notatas occurrit; ubi fatendum est, quamvis medicinæ scientia nuper magis provecta sit, nihilo secius multos homines, ex militibus, ex classibus, et alios in quacunque re versatos, quotannis hoc morbo, vel vetusto vel acuto, deperire.

* “Differre quoque pro natura locorum genera medicinæ: et aliud opus esse Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gallia.”

A. C. CELSUS de Medicina.

DE MORBI DEFINITIONE.

APUD celeberrimi CULLENI, et clarissimorum aliorum scripturas, dysenteriam morbum contagiosum esse, perhibetur. De hoc dubito, sed ex nulla alia causa, nisi quod animus veneratione, talis auctoritatis imbutus, dum ex eorum sententia dissentio. Sed de hoc postea. Interim a plurimis negatur contagio; quomodo autem res se habet, “sub iudice lis est;” et igitur parum accurate intra morbi definitionem locum habet.

“Pyrexia, dejectiones frequentes mucosæ
“vel sanguinolentæ, retentis plerumque fæcibus
“alvinis, tormina, tenesmus*.”

* Vid. Gener. Morb. CULLENI, Cl. 1. G. 41.

DE MORBI HISTORIA.

DYSENTERIA intra fines Indiæ Occidentalis, sub forma simplice, vel sine febre, rarissime apparet. Vero contra, a horrore et aliis pyrexiaë signis, fere semper incipit, quæ per morbi cursum comitatur. De febris igitur natura, in primis oportet paucis verbis disserere.

Plerumque quidem, febris species quæ dysenteriam comitatur, maxime pendet ex natura pyrexiarum, eodem loco temporeque tunc ingravescentium; necnon etiam, ex habitu et viribus ægri; modo formam typhodeam, modo synochalem assumit. Hæc inter extrema, oriri videntur diversæ species; et hæc communiores, nam extrema quidem alterutrius, rariora sunt.

In integerrimis nuperrime ex regionibus temperatis, huc advectis, ubi plenitudo adest sanguinea, habitusque eorum cœli temperiei harum terrarum minime assuetus, ibi profecto vehementer vigescunt inflammationis vel synochæ

signa *. Ferraro occurrit quinetiam in forma typhodea acerrima, præterquam in militibus et in aliis bellicosis, quorum admodum dilabuntur vires, ex laboribus, cœli intemperie, et ex multis aliis causis quibus objiciuntur hi, qui in hisce regionibus bellum gerunt. In castris, navibus, et nosocomiis, igitur, tantum vigescere solet hac in forma, sub finem quoque expeditionis, nam nunquam epidemica in initio est.

Quinetiam, interdum conjungitur dysenteria cum febrium intermittentium diversis speciebus, in locis præcipue paludosis, ubi frequenter sese

* Discrimen, quasdam inter dysenteriaë formas, simul eodem loco temporeque coexistentes, manifeste videbatur, in exercitu Britannico, apud insulam Martinico nominatam, anno MDCCCIX; nempe, ex cohortibus quibusdam duabus; unica, (*York Rangers*) nuper ex Europa advecta, morbo synocha vero graviore implicata fuit. Alteri e contrario milites (*York Light Infantry Volunteers*), jam in tropicis diu commorati fuerunt, et hinc corpora quassata, functionesque torpidæ, in his apparuit morbus in forma typhodea. Priores, facile sanati sunt, missione sanguinis, catharticis, et aliis antiphlogisticis; at posteriores, minime apti ad evacuationes sustinendas, hydrargyro et opio medicati sunt; et, ut sæpe in hac ægrorum classe occurrit, plures mortui sunt.

ostendunt hi morbi : necnon etiam, ex iis febribus convalescentes, facillime et sæpissime in dysenteriam incidunt.

Tametsi natura febris comitis, ad varietates supra scriptas, plerumque similitudinem teneat ; non est sane existimandum, se cursum febrium idiopathicarum definitum et regularem habere ; quapropter quæ de hac re dixi, sensu latius accepto oportet intelligere.

De improvise, subinde invadit dysenteria. Sed fere semper, denunciant ejus impetum multa signa monitoria ; nempe, sensus ægritudinis universalis, exercitationis impotentia, anorexia, sapor oris amarus, ructus, simul cum ventris molestia quadam, dolori proxima, sæpe alvo astricta. Hæc signa interdum leviora, interdum graviora, sed rare quidem omnino desunt.

Perstantibus illis indiciis, ex horis aliquot, ad dies duas, vel subinde plurimas, (nam nunc citius, nunc serius est,) ingravescit malum, et signa propria plane ostendit, dum eodem tempore vehementer invalescit febris. Nunc infestat nausea, nonnunquam in vomitum humoris biliosi abiens, sed raro quidem diu post primum assaultum, manet hoc signum. Ventricu-

lus attamen, in morbo acuto præter naturam semper irritabilis est, qui facillime irritamentis ad vomitum sollicitatur. Celerrime nunc accedunt intestinorum tortiones, et crebri ventris dolores, frequente dejiciendi cupiditate conjuncti. In principio, alvi purgationes, a conditione sana, haud multum discrepant, nisi quod fluidæ sint, ex mistura humoris intestinalis, et interdum materiæ biliosæ ; aliquando porro, per tempus breve, copiosæ fiunt.

Progrediente morbo, dehinc ægro miserrimo nulla quies ; symptomata omnia acerrime augeantur. Dolores acutissimi, et pene intolerabiles, abdomen, præsertim partibus inferioribus, excruciant. Desidendi sævi conatus, fere convulsivi, simul cum torminibus, minimis intervallis recurrentibus, vires ægroti illico consumunt. Abdomen tumidum, et tactui magis sensibile fit. Eodem tempore, alvi excrementa, mutationes valde notabiles subeunt, et perraro quidem, in cursu mali naturalia deteguntur, nec sine cruciatibus infandis excernantur : itidem vero, exigua, fœtida, sanguinolenta, et spumosa sint ; modo porracea, vel atra, modo loturis carniū similia ; interdum etiam filamentis mem-

branulis, carunculis, et substantiis adipis instar, scateant. Præterea, aliquando cruore imbuta, quasi in striis, vel e contrario, modo intimo intermixta, notentur. In extremo morbo, porro, materia purulenta sæpe fæcibus adhæret. Quibusdam in casibus, frustula dura dejiciuntur, sed certe hoc raro occurrere credo, quoad mihi docet experientia propria, in regionibus calidis, adeo diversa*.

Exhalatio cuticularis, ab origine turbata, brevi vero omnino cessat, vel tantum sudor viscidus et fœtidus, super caput et thoracem erumpit. Cutis ipsa arida, dura, aspera; et coloris leviter plumbei, évadit.

Tametsi febris comes, plurimum accrescat, dignum est notatu, nobilissimas sensorii functiones, quoad saltem intellectum attingant, per raro affligi observamus; summa quidem anxietas et mentis depressio, etiam fortasse, mortis

B

* “There werè upwards of 500 cases of dysentery,” inquit JAC. MACGREGOR, Eques, “and I do not think that scybala were passed in six cases.”

Vide *Edinburg. Surg. et Med. Journ.* vol. i. p. 280.

cupiditas ardens, sæpe afficiunt, sed nunquam delirium, vel coma vel stupor, nisi in ipso mortis articulo, ubi plane, ex debilitate lethali, minime sane ex ullo morbo speciali, adoriuntur.

Si nihil adhuc ægro operam ferat, rapide labat; tormina nunquam desinunt, tenesmus quoque atrocissimus fit, et quasi ultra voluntatis coercionem, nam ægrotus, vi spasmodica musculorum totius abdominis, ad nixus dejiciendi cogitur. Dolor pungens ani, sæpe cum procidentia, tenesmo conjungitur, dum etiam irritatio partium vicinarum, ad vesicam urinariam porrigitur; hinc contractio fibrarum vehemens hujus visceris, semper nixu abdominis generali conjungitur; urina igitur parca, et sæpe sanguine et muco intermixta, nunquam in vesica retinetur, sed angore indesinenter propellitur. A nonnullis narratur, suppressionem urinæ secretionis, interdum prorsus fieri; sed hoc nunquam vidi. Ventriculi dotes continuo imminuuntur vel mutantur, vel prorsus aliquando abolentur; res ingestæ siquidem per canalem intestinalem parum mutatæ ruunt, et flatum eliminant foetidissimum, hoc potest æger interdum eructare, sed sæpe quasi œsophagi quodam spasmō retinetur;

hinc abdomen valde intumescit, et respiratio difficilis fit.

Frustra sane quærerem, si etiam mihi esset maxima verborum copia, ægrum hoc tempore infelicem pingere, nam profecto id non fieri potest. Torminibus tenesmoque perpetuis, vires pene profunduntur. Nunquam æger sellam ipso mente relinquit, ubi sæpissime ex ultimo debilitatis stadio, in syncopen cadit. Vultus extenuatus, plumbosus, angore distortus, summa corporis macies, et virium prostratio, cordisque palpitationes, mortem in propinquo esse, plane ostendunt.

Nunc natura celerius deficit. Pulsus debiles et intermittentes, demumque ita celeres fiunt, ut vix percipi et numerari possint; extrema frigescent; sudores frigidi glutinosique, ex media corporis parte erumpunt; singultus fere strangulans, tremores convulsivi, et tendinum subsultus, afficiunt. Denique, vero, supervenit delirium depressum et mussitans; et vel tardiuscule, sine nisu, filum vitæ ultimum abrumpatur, vel convulsio vehemens et universalis, lethum de repente afferat.

Fieri etiam potest, ut dysenteria, cum ipsa hepaticide, acuta vel chronica, tum a principio, tum in progressu, jungatur, et certe non insolenter, apud incolas specialiter, hoc occurrere videtur, plerumque etiam sub forma vetusta. Sed si mihi liceat ex propria experientia solum scribere, ni multo fallor rare in advenis, donec saltem diuturne in his terris commorati sunt, signis hepatis læsionis, aggreditur dysenteria*.

* De hac re, nihilominus, diversæ sententiæ inter medicos et scriptores tenentur; etiam nuperrime ab auctore* perito ac ingenioso dictum est, ut nunquam vidit dysenteriam, (inter tropicos intelligendum est), ubi eodem tempore, et ab origine morbi, non adfuerunt, functionum duarum læsiones, nempe hepatis et cutis. Si hac opinione tantum affirmare vult, secretionem bilis auctam vel minutam esse, res profecto minimi momenti est, nam nihil, de vera morbi pathologia diagnostica docet, quoniam etiam in morbis plurimis abdominis, hoc evidenter sine dysenteria fit. E contrario tamen, si hujus visceris læsiones organicæ intelligendæ sunt, (et ita est), ex ea sententia admodum dissentio; quoniam, multoties morbum de quo agitur vidi, ubi, ut minimum dicam, nullum signum hepatis læsionis, ut ab scriptoribus peritissimis descriptum, in vita adfuit, nec post mortem porro,

* Vide JOHNSON, On the Influence of Tropical Climates, p. 201.

Cum tamen adest, facile propriis symptomatibus, nimirum dolore pressura aucto, in hypochondrio potissimum dextro et epigastrio, et ad

structura morbida vel minima mutatio a conditione sana hujus organi, patefactæ fuerunt.

Facile tamen concedo, sese sæpe conjungere hi morbi, sed modo fortuito tantum, et longe ab essentiali. Sed sic est in arte conjecturali, ut facillime parturiuntur hypotheses, dum naturam ipsam observare, interdum difficile, acerbum sæpe est. Longe a nobis absit oculus ictericus, qui, in mille malis quibus homo vexatur, nihil aliud vidit nisi bilem et jecur.

Hoc argumento audi cl. PRINGLIUM. “It may be remembered,” inquit ille, “that I have always used the term Biliious, more in compliance with the ancients, to distinguish a certain class of diseases, than from an opinion that they are really occasioned by the bile. And as to the dysentery, I shall observe, that though at first, from the sickness of the stomach, and vomiting, the gall may seem to be concerned, yet, in the advanced state of the disease, it must be wholly acquitted, since, upon the dissection, the liver and smaller intestines are generally found in a natural state, though these parts ought to be more liable to be affected by the disease.”

Vide PRINGLE on the Diseases of the Army, 6th edit.
p. 258.

Vide etiam D. MONRO, Observations on the Means of Preserving the Health of Soldiers.

et ad jugulum humerumque ejusdem lateris tendente, majore spirandi difficultate, et præcordiorum anxietate, tussi sicca, et aliis, detegatur, quæ ulterius exponere, fines transiret huic dissertationi præscriptas.

Spatium quo progrediatur morbus, haud facile designandum est, tantopere pendet ex multiplicibus hominum conditionibus; sed si febris gravis afficiat, qualiscunque sit, aut cito pereunt ægri aut sanantur, aut formam chronicam morbus induit. Raro igitur quidem, ultra dies quatuordecim protrahitur malum; dehinc gradatim subsidunt symptomata graviora inflammationis; dum sæpissime, e contrario, signa localia, præcipueque tenesmus, tempore perincerto manent; itemque comitatur febricula irritans, ad speciem hecticam manifeste pertinens.

Porro, forma chronica plurimum duratione differt; interdum per hebdomadas plures, subinde per tot menses, protracta; faustum habet aliquando eventum, sed eheu! quam creberrime, e contrario, morte desinit.

Tametsi plerumque, hoc modo teneat morbus cursum, nihilominus, multo citius trucidetur interdum æger, gangræna subita ex inflammatione

acutissima oriente, præsertim si advena robusta sit : vero subinde, intra dies duas vel tres, in lethum terminat ; sed feliciter sæpissime auxiliis potentissimis occurritur, et sine mora convalescit ægrotus. Quare mihi videtur, hanc formam, præter omnes, magis medicabilem esse. Quinetiam subinde fit, cum morbus, debiliores, ætate provectos, et eos liquoribus spirituosus immodice deditos, corripiat, ut celeriter moriuntur, quamvis signa graviora generalia omnino desint. In his casibus dolores satis tolerabiles fiunt ; ciborum desiderio modico fruitur æger ; sed nunquam deficit tenesmus ; pulsus etiam celer, parvus et subdurus fit ; in horas exhauriuntur vires ; et intra hebdomadam perit æger, quasi ex mera debilitate.

Formam typhoideam graviorem, nunquam vidi ; et nisi in castris, et nosocomiis sub conditionibus infaustissimis confertis, rarissime inter tropicos oriri dicitur.

Demum, qui, ex quavis dysenteria forma, vires recuperant, non insolenter proclivitatem acquirunt ; iterum, et sæpius morbo corripiuntur, quandocunque causis excitantibus sese objiciunt.

DE SECTIONE CADAVERUM.

VESTIGIA dysenteriae, sæpissime sectione deprehenduntur; et nunc brevi complectar quæ, de hoc morbo, cultor anatomicus patefacit.

Color intestinorum crassorum, externe variis partibus mutatur; lividus vel subniger fit, et interdum maculis plurimis intertinctus. Hæ ex sanguine inter laminas effuso constant, et prope imum rectum magis evidenter conspiciuntur. Tunicis incisis, haud obscure inflammationis indicia sese exponunt. Crassiores et densiores, quam in homine sano observantur, et muco fusco vel sanguinolento tetro, in facie interna obducuntur; quo absterso, venienteque sub aspectum, membrana mucosa, tubercula parva detegimus, quæ nunc congregatim, nunc sparsim, rectum et colon, ad ilii partem usque, occupant. Hæc, etiam, multum variant, colore et duritie, et magnitudine: Interdum integra et substantia casea repleta sunt; interdum fissa, et sanie purulenta imbuta, videntur.

Porro ulcuscula plurima rodentia, marginibus crassioribus inæqualibus et laciniatis, in tuni-

cam mucosam quoque inveniuntur; per alias tunicas subinde erodunt, sed haud frequenter: dum alias, latius in tunicam mucosam, sæpe sese ubique extendunt. Mucus etiam quo obducitur hæc tunica, passim concretus et induratus est, adeo ut valde referat membranam naturalem.

Colon interdum enormiter dilatatum, prope arcum magnum, est; sæpe eodem tempore, ubi in rectum desinit, valde constrictum fit.

Intestina crassa, etiam gangræna afficiuntur, quæ aliquando late in regiones proximas, se diffudisse videtur.

Omnia hæc vestigia nunc enumerata, plurimum in recto et colo abundant, et rare in intestinis tenuibus, facile deteguntur. Porro dignum est memoratu, quod sæpe vix apparet vitium qualecunque in membranis externis; sed, his incisis, plane patefacit malum.

Glandulæ mesentericæ, plerumque mutationes morbidas subeunt. Præter solitum mollescunt, flaccescuntque; aliquoties, præterea, durescunt.

Hæ revera perturbationes, quæ quadantenus sæpissime in cadaveribus dysentericis invenienda sunt, et profecto ex natura et sede dolorum, ab initio morbi, suspicari possint. In quibus-

dam etiam, vestigia morbida aliis in visceribus subinde deprehendantur; sed haud primaria habenda sint, quanquam post morbum valde productum, et praesertim in locis paludosis, non infrequenter prioribus nexentur.

Horum omnium longe frequentius afficiuntur hepar, et splen: Hicce tantum a sano plerumque differt, magnitudine aucta, et pondere, forsanique firmitate, nam rare quidem in suppurationem abit splen. In hoc certo admodum discordat hepar; nam ita mutatur, et tot diversas injurias ostendit, ut facillime enumeratione solum, paginae plures implerentur. Brevi in omni stadio inflammationis, in omni gradu duritiei, ad scirrhum usque; postremo, abscessibus plurimis, vel uno impletum ingente, detegitur hepar.

DE DIAGNOSI.

MORBI quibus cum dysenteria intercedit ulla similitudo, sunt, Diarrhœa, Cholera spontanea, et Colica spasmodica.

Haud facile fit discrimen, in quibusdam, prima morbi tentatione inter hunc et *Diarrhœam*.

In hac multoties enimvero incipit, et in alterum terminat. Sed fere semper assueti sumus litem discernere, ope dejectionum alvinarum, quæ semper morbidæ sunt, et tenesmo, qui nunquam in dysenteria deest.

Discriminatur *Cholera*, vomitu acerrimo et iterato bilis, dum eodem tempore magna copia dejicitur; spasmo universali totius abdominis, quo sæpe afficiuntur etiam membra superiora, aliquandoque inferiora; perturbatione systematis infanda, subitaque; et summatim, vi instar fulminis, qua trucidantur vires.

A dysenteria, differt in plurimis *Colica*, ex natura doloris, torminibus haud simili; in hac, umbilicus, et muscoli abdominales, introrsum veluti trahuntur, et quasi in globulos volvuntur; dolores porro altius defigi videntur, et alvus adstricta, sine tenesmo, est.

Nihilominus, omnes hi morbi, in dysenteriam sæpe desinant.

DE PROGNOSE.

MORBUS subdolus, procul dubio, dysenteria est. Nihil, igitur, de eventu, unquam temere

et inconsulto, prædicare debemus; namh aud insolenter accidit, ut symptomata graviora levantur, et ægri animus recreatur, cum derepente, et sine causa manifesta, relabitur, et cito moritur.

Ubi tormina et tenesmus, facile medicamentis levantur, et sudores totius corporis educuntur, quibus febris et alia signa minuuntur, bonum est.

Contra, malum est, si dolores graviter et febris augescant; si vires cito prosternantur; si lingua crustis atris et aphthis turpetur; et si membra frigescent.

Dolores subito conquiescentes, cum abdominis flaccidate, pulsu parvo et debili, sudoribusque gelidis, gangrænam adesse significant. Pessimum est, cum tenesmus tantus et atrox est, ut perpetuo hietanus, unde enemata, quasi ex tubo hydraulico, extemplo elabantur, aut si admodum constringatur. Sed hæc omnia, medicorum principis venerandi verbis, summatim nobis colligere liceat:

“Celerrime is perit, quem maxima pars malorum symptomatum occupat*.”

* HIPPOCR. Præd. II. 118.

DE CAUSIS REMOTIS.

SECUNDUM ætiologiæ leges, causæ hujus æque ac omnium morborum, in duo genera dividuntur; primum eas comprehendit, qualescunque sint, quæ proclivitatem corpori dant; alterum, quæ corpori jam opportuno morbum admovent.

Sed quanquam generaliter utiles sint, perspicuitatis causa, hæ distinctiones, tam admodum in hoc morbo commiscentur, ut difficillime quidem distrahantur. Hoc notato, consuetudinem sequor.

Sed imprimis oportet, de ea sententia, quæ ad contagionem, ut unicam dysenterię causam, refert*, paucis loqui; nam, vero, si accipiatur hæc, cuncta alia excludit.

Casus quida msporadici, in nosocomiis militaribus apud Indiæ Occidentalis insulas, et in omnibus anni temperiebus, semper inveniendi sint.

* “ And upon the whole, it is probable that a specific contagion, is to be considered as *always* the remote cause of this disease.”

Vide CULLEN, *First Lines*, MLXXV.

Quorum copia, valde aut imo prorsus, ex eo pendet; ut eorum unusquisque nuperrime causis nonnullis morborum generalibus, sed minime vero ad ullam contagionem peculiarem, obiectus fuit. Nam ex militum manipulo in excubiis versato, ad noctes frigidas pluviosasque, post solem fortasse fervidum excipientes obnoxio, et vestibis madidis, per aliquot horas, manente, pars subito dysenteria afficitur, pars, febre endemica remittente, et aliis morbis diversis, corripitur; demumque reliqui tuto evadunt. Hi milites nunc in nosocomium recepti, cum aliis ægris, cum famulis, et nutricibus, cum amicis suis sanis, modo intimo, congregant; veruntamen, nunquam morbum cuiquam communicent. Contagio a nemine timetur; enimvero, ab experientia omnibus docetur, ut, tantum in libris, unquam inveniri possit, saltem quoad Indiam Occidentalem refert*.

* “As to contagion from infection, in the dysentery, I must confess I never saw an instance of it, neither do I believe there is any such thing.”

MOSELEY *on Tropical Climates*, p. 267.

Apud causas prædisponentes, enumerari possint omnia quæ corpus, directe vel minus recte, debilitant, et quibus milites et nautæ, ex eorum vitæ genere morumque, admodum obiecti sunt. Minime quidem opus est, has singula-

“ A most putrid and malignant dysentery was introduced into, and filled our hospitals, at Barbadoes ; from the Negroes that the Regalia imported, but the disease did not, in a single instance, affect any medical attendant, or servant about the sick.”

Dr FERGUSON *in Medico-Chirurgical Transactions*,
vol. viii. p. 115.

“ La dyssenterie n’a pas été maligne et contagieuse dans l’hôpital du Kaire, quoique cet etablissement eût été longtemps encombré de malades, privés de beaucoup de choses utiles dans leur situation.”

Vide DESGENETTE’S *Histoire Medicale de l’Armée d’Orient*, p. 20.

“ I have never had proofs of its infectious nature. Indeed, as I have often seen, one only of a large family, afflicted with the disease ; and also, as I have had single patients in the hospital, who have not in the smallest degree appeared to infect any other inhabitant of the same ward, my experience ought to lead me to the opposite conclusion.”

Vide PEMBERTON *on Diseases of the Abdominal Viscera*, p. 138.

tim exponere ; sed propter vim majorem, causæ sequentes digniores notatu sint. Usus liquorum spirituosorum, defatigationes corporis longe protractæ, insomniæ, cibus pravus vel nimius, venus immodica *; æque animi affectiones, quæ mentem magnopere contristant † ; postremo, extra omnes, valde potentissimæ sunt, varietates cœli, et loci natura, propterea quod hæ duæ, in quibuscunque perpetue agunt, et in omni conditione, qua collocati sint homines in India Occidentali, plus minusve morbis modum adhibent.

Perpauci sunt vero, quibus est in omni corporis organo eadem virium vitalium summa, qua, æque cum cæteris, morborum assultui obistere possit ; vel aliis in verbis, est in omnibus hominibus, quoddam organum vel systema, morbis magis obnoxium quam aliud. Hæc pro-

* CELSUS *de Medicina*, lib. 1.

† “ L'influence des affections morales sur la santé des soldats, a été bien démontré dans nos dernières guerres : le nombre des malades, a augmenté dans une proportion effrayante, à mesure que la fortune s'est éloignée de nos drapeaux.”

CHOMEL, *Pathologie Generale*, p. 66.

clivitas aut hæreditaria, aut acquisita sit, sed de natura ejus intima nihil constat, et præter rem ipsam, nihil aliud cognoscitur.

Regiones calidæ, ad canalem intestinalem, et organa chylopoietica, isthanc debilitatem, modo potentissimo, determinant*. Corpus diu et sæpe, ad stimulum caloris subjectum, admodum debilitatur, et facilius morbis afficitur, qui ex humore, et frigore nocturno oriuntur; et inter hos, dysenteria primum locum tenet.

Tametsi in omni tempore anni, dysenteria quodammodo grassetur, vero in tempestatibus pluviosis, et paulo post eorum requiem, dum, solis vi ardentis, ex terræ superficie, evaporatio ingens perpetue pergat, etiamque in solis uliginosis, admodum graviterque infestat.

Ita profecto universalis est caloris vis et humoris conjunctim, ut dysenteriae causa prædisponens, etiam in Europa, quando epidemice videtur morbus, quodammodo accipiatur; nam

* “ Sed, et si quid doluerit ante morbum, ibi se figit morbus.” HIPPOCRATIS *Aphorismi*, Sect. 4.

semper, aut plerumque saltem, sub finem temperiei calidæ et pluviosæ, magis pollet*.

Quinetiam, cum et calor et humor, causæ chemicæ, in operationibus naturæ ingentibus, validæ sint, substantiarum animalium, vegetabiliumque, ad putredinem maxime conferunt, et ab his, materies plures aëriiformes evolvuntur, quæ facillime aëre atmosphærico solvuntur. Porro verisimile est, ut aër his commistis valde

* Vide PRINGLE on the Diseases of the Army, 6th edit. p. 251.

D. MONRO, Observations on the means of preserving the Health of Soldiers, p. 314.

Sir JAMES MACGREGOR, Medico-Chirurgical Transactions, vol. vi. p. 386.

BROUSSAIS, Histoire des Phlegmasies Chroniques, 2de edit. tome ii. p. 196.

MOSELEY, Treatise on Tropical Climates, p. 9.

LEMPRIERE, Practical Observations on the Diseases of the Army in Jamaica, p. 32.

DESGENETTES Histoire Medicale de l'Armée d'Orient, p. 20.

BURSERII Institutiones Medicinæ Practicæ, vol. iv. Pars alt. lix.

vitiatur ; nam in his locis ubi magis abundant, ibi sane nunquam morbi desunt.

Rem nunc breviter, summatimque percurrere. Inter dysenteriaë, causas prædisponentes, meaquidem sententia, aër calidus, humidus, rebusque noxiis commistus, longe cæteris præpollet.

Causæ excitantes * corpori jam opportuno, infinitæ sunt, et minime necesse est, eas ulterius prosequi. Verbo tenus, causæ morborum generales, isthunc specialiter inducere possint ; et harum apud causas prædisponentes, plures jam pridem enumeratæ sunt.

* “ Les causes des maladies (inquit CHOMEL.) existent partout, autour de nous, et au dedans de nous-mêmes. Les choses le plus nécessaires à notre existence, comme l'air que nous respirons, les alimens, et les boissons, qui reparent nos pertes journalieres, les produits de l'industrie humaine, destinés à rendre la vie plus commode, et plus douce, deviennent quelquefois, les agens des maux, qui nous frappent.”

Pathalogie Generale, p. 40.

DE CAUSA PROXIMA.

Cum causa proxima, quam morbus ipse, nihil aliud est, deinde sequitur, ut inter causas, haud locum obtinere oportet; nihilominus, de hocce argumento, pauca dicam.

Quoniam ex cadaverum inspectu, vestigia inflammationis tunicæ mucosæ, magnorum intestinorum, fere semper detegi possint, hæc vero, aut origo et fons est, malorum succedentium; vel horum effectus esse debet. Ex his argumentis, haud bene sistere potest posterior sententia: nam signa propria localia, plus minusve gravia, ab initio morbi adsunt. Febris comes, ex omnibus idiopathicis, plurimum differt: in quibusdam etiam, qui ex morbo mortui sunt, maxima læsio organica patefacta est, tametsi febris levissima in progressu fuerit.

A cl. D. MONRO, primum proposita fuit vera sedes dysentericæ*; et ab ejus tempore, ad-

* Vide Observations on the means of preserving the Health of Soldiers.

modum augetur scientia inflammationis, quantum tunicas corporis diversas afficiat. Inflammationis historia plane demonstrat, quod valde modum adhibet, ex natura membranarum quæ occupat ; sed haud existimandum est, illam semper, in ea membrana, in qua primo orta fuit, terminatam esse ; contra vero, in vicinis sæpissime extendit. Multum enimvero, differt inflammatio membranæ mucosæ * intestinorum, ex in-

• “ La couleur des surfaces muqueuses, acquiert une intensité remarquable, dans les inflammations. La rougeur devient alors extrêmement foncée, à cause de la quantité de sang, qui s’accumule dans le système capillaire. C’est surtout, dans les dysenteries, que la surface interne des intestins, présente ce phénomène d’une manière remarquable.

“ Il est peu de systèmes qui sympathisent plus fréquemment avec les autres, que celui-ci. Or dans ses sympathies, tantôt c’est lui qui influence, tantôt c’est lui qui est influencé.

“ Peu de systèmes vivent d’une manière plus active que celui-ci ; peu présentent les forces vitales à un degré plus marqué.

“ La sensibilité du système muqueux, s’exalte beaucoup dans les inflammations.”

BICHAT, *Anatomie Generale*, 2de Partie.

flammatione serosæ; nam prioris inflammatio, nisi febre gravissima comitata, in progressu magis tarda est, in suppurationem, erosionemque, at nunquam in adhæSIONem abit; secretiones ex glandulis naturales, vasisque exhalantibus, a sana conditione, multo mutantur, et quasi stimuli acres, et extranei, malum iterum augent.

Inter et dysenteriam, enteritidemque, dissimilitudo fortasse tantum pendat, ex diversis tunicis morbo implicatis.

DE RATIONE MEDENDI.

CURATIO, in hoc morbo, eo spectat, ut causa primum tollatur, deinde symptomata mitigentur, secretiones intestinales, ad conditionem sanam revertantur; denique, ut vires, tam locales, quam generales, stabiliantur.

Quam difficile autem sit, omnia hæc consilia persequi, a cl. PRINGLIO * perspicue, paucisque ostensum est: "There are few distempers," inquit ille, "less beholden to nature for a cure, or

* Vide Observations on the Diseases of the Army.

“ attended with more deceitful indications.
 “ The hæmorrhages seem to require repeated
 “ bleedings, the fluxes strong astringents, the
 “ pain of the bowels constant opiates ; and yet,
 “ unless these remedies are used with caution,
 “ they tend more to confirm than to remove the
 “ disease.”

Quoniam ex præmissis, morbus inflammatio, quarundem partium esse existimetur, ei quamprimum, remediis potentissimis, debellare oportet.

Incipiente morbo, qualiscunque sit febris comes, si tantum ægrotus validus, et sine debilitate permanente sit,—nam ista debilitatis species, quæ sæpe derepente, ex gravi morbo oritur, subdola est, et semper cum causa ipsa tollitur,—missio sanguinis nunquam omittenda est. Porro, ubi manifesta sunt signa inflammationis, et ægroti vires sinant, iterum, iterumque repetenda est venæsectio, quousque urgent phænomena, Caute nihilominus fieri debeat, et tantum in morbi initio ; nam cito, et reapse interdum deficient vires. Parcior quoque venæsectio instituenda, in male nutritis, et ætate admodum provec-

tis. Pulsui soli in hoc morbo, non fidendum; cum ob doloris acerbitatem, non rare parvus, et debilis tangatur, licet vires exorbitent. Prima venæsectio moderata, in his casibus esse potest; et, insurgente pulsu, larga et audax instituenda est. Sed semper vires ægrotantis æstimare debet medicus.

Hujus remedii effectus quidem, subinde subiti, et felicissimi sunt; dolores mitigantur; spasmi relaxantur; sudores erumpunt; et facillime postea, sanatur æger, purgantium auxilio. Hæc semper quoque, per morbi decursum, usurpanda sunt; primo, ut alvus bene evacuetur; et postea, quoniam, ab experientia, fere semper tenesnum, tormina, doloremque circa anum atrocissimum, mirum in modum, mitigare inveniuntur; usque donec secretiones intestini ipsius, gradatim ad integras mutantur, et actiones salutare excitentur. Hoc consilio, imprimis, uti possumus laxantibus mitioribus, et harum præcipue salibus mediis, ad doses plenas, vel jalapa cum hydrargyri submuriate.

Alvo bene soluta, dehinc per morbi progressum, semper, ut ea probe laxa teneatur, sedulo respicere oportet. Hoc optime sulphate mag-

nesiæ, aut aliis ejusdem generis, fieri potest. Quamobrem, in dosibus parvis, et in vehiculis idoneis, sicut in decocto hordei, vel avenæ, vel oryzæ, aut, quod sæpe optime ventriculo convenit, in Quassiæ excelsæ infusione tenui, exhibenda sint, intervallis quatuor, vel quinque circiter horarum. Oleum ricini, toties laudatum, minus aptum mihi videtur; nam sæpe nauseam, et vomitum movet, quod, inter tropicos, ab ventriculi irritabilitate aucta, semper timendum est; porro quidem, præter omnes, flatum evolvit, semper ægroto dolorificum, quare ni multo fallor, evitandum est.

Extrinsecus etiam, eodem tempore, quædam remedia curationem adjuvant, sicut balneum tepidum, et ventris fomenta tepida, magnopere ad ægri solatium tendunt, et vasorum capillarium cutis, motum valde augment; itaque, semper usurpanda sunt. Si dolor levi manus tactu augetur, tunc emplastrum cantharidis exulcerans magnum, ei parti sine mora applicandum est, et sæpe admodum valet.

Diæta semper antiphlogistica, et omnino ex fluidis blandissimis esse debet; etiam in acuto morbo, rigide omnibus mēracioribus liquoribus

abstinendum est, nam in his minima indulgentia, periculosum.

His remediis, sæpe ad sanitatem perducitur æger, præsertim, si nuper ante morbi aggressiōnem validus, et inquassatus esset. Nihilominus, fatendum, etiamque lugendum est, in casibus haud paucis, hæc remedia, frustra adhibita esse; maxime ubi, ex eodem aut aliis morbis præcedentibus, vires maxime desunt, aut apud has regiones, commoratione diutina, proclivitas, ad hunc morbum magis confirmatur; vel, porro, in his, quibus actiones morbidæ, vel læsiones organicæ hepatis, complicatæ sint.

In omnibus his morbi conditionibus periculosiss, fiducia ultima ex hydrargyro pendet. Hæc, tamen, sæpissime sane vana est; nam tametsi unicum sit remedium, quo subinde, cito interpelletur morbi cursus, haud negandum est, curationem haud infrequenter temporariam, subdolanque esse. Plerumque vires magis etiam prosterni, hoc quam aliis remediis; et actione hydrargyri specifica peracta, aut citius, tardiusve iterum morbo afficitur æger. Rursus paulisper succurritur, donec tandem, nullam efficacita-

tem retinet remedium, et insanabilis vitam efflat.

Hæc sententia de hydrargyri potentia, aliorum observationibus, haud prorsus congruit; a nonnullis quidem, remedium certissimum, et specificum tenetur. Mihi vero videtur utile, et in pluribus casibus optimum esse; sed quemadmodum alia, in hoc morbo mortifero, sæpissime nihil omnino prodest.

Ex observatione diligente, dicam, actionem hydrargyri, ad ptyalismum usque, nequaquam necessariam esse. In validioribus, ubi inflammatio plerumque evidens est, morbus æque remediis sanatur antiphlogisticis. In altera classe, ptyalismo semper augetur debilitas, et protrahitur longe valetudo.

Quandocunque, igitur, præmissis medicamentis jam enumeratis, haud multum dolores mitigentur. statim ad hydrargyrum, et præcipue ad sub-muriatem, confugiendum est; sed in hoc stadio, maxime prodest, eo conjunctum opium. Itaque, sub-muriatis granum, cum eadem quantitate opii, tertiis, quartis, vel sextis horis, secundum signorum vehementiam, exhibendum est. Hujusce conjunctionis non bene explicari

potest modus operandi ; sed plane muneribus fruitur, quæ singulis negantur, utrum dolores levando, seu actiones morbidas intestinales amovendo. Opium per se exhibitum, calorem, sitim, et inquietudinem febrilem, admodum auget ; porro etiam, dum spasmos relaxat, sensum molestiæ peculiarem abdominis, quasi distensionis, constrictionisque, gignit, æque aut magis ægri intolerabilem ; siquidem tamen hydrargyro conjunctum, aliter ut jam dictum se gerit. Semper in memoria retinendum est, ut eodem tempore, plurimum prodest, alvum subinde molliter ducere, dosibus exiguis, et iteratis, salium medicorum.

Porro, crebra enemata injicere perutile est, anodyna præsertim, et amylacea ; sed si dolorem, et ani irritationem augent, omittenda sunt, et tunc ad balneum tepidum fugiendum est.

Flatus sæpe turbat, molestissimumque est, quando afficitur hepar*. Hoc sæpe erumpit,

* “ Il paroît qu’un des principaux usages de la bile seule, ou mêlée avec le suc pancréatique, est d’empêcher l’expansion de l’air, à proportion qu’il se dégage des alimens ; ce qui pré-

ætheris sulphurici pauxillo, vel guttis oleorum aromaticorum aliquot.

Quandocunque abdomen haud admodum tactu læditur, ad ægri solatium multum confert, illud fascia lanea circumdare, et etiam indusia lanea, vestitum debet esse.

Caute, et gradatim, ad cibos animales revertendum est, et maxime convalescentes oportet, causas excitantes, rigide evitare.

Facile mihi esset, latius de remediis aliis, diversisque disserere, quæ in dysenteria usurpanda sunt, ea tantum brevitatis causa elegi, quæ solenniter feliciora inveniuntur.

Ad formam vetustam etiam, quodammodo referuntur, eadem consilia generalia. Donec manifeste patet, e natura dejectionum, actiones morbidas prorsus sublatas fuisse, spes ex hydrargyro, et opio pendet. Vires sustentare oportet, cibo nutriente, præsertim jusculis, et gelatina anima-

vient le ballonnement des intestins, la tympanite, accident qui a lieu lorsque la bile n'est pas en assez grande quantité ou qu'elle n'a pas son action naturelle."

PORTAL. *Anatomie Medicale*, t. v. p. 23.

li et vegetabili; deinde dejectiones frequentes, astringentibus reprimere.

In dysenteriis chronicis, navigatio sæpe aliquid commodi, pro tempore prebeat. Sed haud celandum est, quod adhuc inter medicinæ opprobria, hic morbus ordinem tenet; nam profecto plerumque unicum remedium, quo mors evitanda est, eo pendet, ut celerrime, ad regiones temperatas confugiendum est.

“ Multas rerum natura morbis vias aperuit;
“ nascimur uno modo, multis morimur.”

L. A. SENECA.

FINIS.

